

## PROGNOSTICA I. RATIONE GENERIS.

Oris sanguinis fluxus immodicus, nocet plurimum. Ex hoc enim, in corporib. biliosis, facies citrina evadit, ebulliente bile, sanguinemq; residuum adurente: In pituitosis pallida & plūbea: In melācholicis, fuscis, & saepius in omnib; mortuorum colorem producit, spiritib. absuntis. Præterea, extremitates refrigerantur, lipotymnia & syncope accedit, interdum mors subsequitur, imprimis, dum magna sanguinis copia brevi tempore egreditur. Ubi v. multa copia pluri. diebus fluit, paulatim hepaticum refrigeratum debilitatur, ut cachexia, tabes & hydrops succedant, juxta Avicen. Quām periculosa, Critica superflua, & symptomatica sic, ex dictis palam est. cum vires sensibiliter dejiciat, ac inservium, ex plurima vacuatione, ad mortem ducere videatur. Magis etiam periculosum est, si sanguis syncerus exeat, nam tunc major est recessus à statu naturali, & vires deficiente sangvine, non resistunt. Pejus quoq; malum semper est, si putridus effluat, tunc enim & motu & substantia peccat, Quæ, sicuti morbum curatu difficultorem, ob indicationes contrarias, ita periculosiorem reddunt. Sangvini putrido, quoad periculum succedit serosus, deinde acris, tandem copiosus.

II. RATIONE SUBJECTI seu loci affecti, hæmorrhagia alia magis, alia minus periculosa existit. Gravius utiq; malum est, si prodeat per partes internas, quia non ita cedit materiis medicis: gravius etiam, si ab arteriâ, quām si à venâ, nam difficulter sistitur, propter impetum sanguinis, præterea, magis vires succumbunt. E naribus quæ fit, non tam adversa est biliosis, quām pituitosis & melācholicis, teste Avic. Hi enim sanguinis profusione magis refrigerantur & debilitantur. Quibus sanguis multus è naribus profluxit, siquidem immoderatae decolorationes adsunt, iis parum confert. Qui v. prærubro sunt colore, non eodem modo afficiuntur: & quibus caput facile tolerat, prodest, quib. v. secus, minime. Hipp. 6. Epid. l. 6. Narium hæmorrhagiam nimiam in Causode & febri malignâ, aliquoties observavit lethalem CL. Höchstest. In febre ardente, fluxio sanguinis è narib; quart

to